



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *BENEDICTUS DEUS BEATAM MARIAM*

ROSAM MOLAS Y VALLVÉ

SANCTAM ESSE DECERNITUR ET DEFINITUR «Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater

misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo» (2 Cor 1, 3-4). Salutare minus diffundendi in mundo Dei Patris misericordiam et consolationem magna cum diligentia et alacritate explevit etiam beata Maria Rosa Molas y Vallvé, quae insignis testis fuit caritatis Christi, pauperibus assidendo et aegrotis eosque solando atque christianam curando et humanam iuventutis formationem. Beata, de qua loquimur, in oppido Reus orta est, intra archidioecesis Tarraconensis fines, die XXIV mensis Martii anno MDCCCXV a Iosepho Molas et Maria Vallvé, qui eam ad Dei et egenorum amorem educaverunt. Matre orbata, quae caritatis victima perierat in cholera morbo anno MDCCCXXXIV saeviente, institutum religiosum ingredi volebat, sed dissentiente patre, fuit ei aliquantum expectandum. Cum plus plusque in dies se Deo optaret consecrare, anno MDCCCXXXVI domum derelinquere statuit ut coetui piarum mulierum se iungeret, quae in oppido Reus operibus caritatis et beneficentiae se dedebant. Iuvenis Maria Rosa se sic in vere religiosum Institutum tandem introisse putabat, sed haec communitas erat nec canonice approbata nec ecclesiasticae obnoxia auctoritati. Hic error multo post patefactus est. Ea tamen plene vixit ex sua spiritali consecratione, continuos progressus faciens in perfectionis via seseque cum cura, sui negligentia et humilitate egenis adiuvandis tradens. Dertosae, post longam meditationem et deprecationem, volens Ecclesiae auctoritati se subicere, cum nonnullis sociis de Communitate oppidi Reus decessit, quae illam in hoc delectu sequi noluit, et die XIV mensis Martii anno MDCCCLVII Congregationem Sororum Dominae Nostrae a Consolatione condidit, quam usque ad mortem uti Antistita Generalis cum amabilitate, firmitate animi et prudentia rexit. Institutum, quod subveniundo aegrotis, senibus, puerulis derelictis et iuvenum educationi prospiciebat, celeriter crevit tum vocationibus tum operibus diversis in locis. Inexhausta impulsa caritate, Beata semper parata fuit et laeta Christo servire in indigentibus et, per operum misericordiae apostolatum, efficaciter regno Dei in terris operam navavit. Mulier fortis et intellegens, animose humiliorum et infestiorum iura defendit et, dummodo proximo utilitatem afferret, gravia incommoda subire non timuit et in perfectissima vivere paupertate. Dei obsequens voluntati et erga suam vocationem fidelis, gratuito societati et Ecclesiae servivit suisque Sororibus, quas materno animo amabat. Eius acris industria ex alta fide oriebatur et ex simplici in Christi praeceptis consensu, qui non venit ministrari sed ministrare (cf. Mt 20, 28). Ut totum conficeret iter, quod ei Dominus indicaverat, non suis est fisa viribus, sed Providentiae auxilio, continua deprecationis efficacia suorumque dolorum, diligentis votorum religiosorum observantiae, plenae erga auctoritatem Ecclesiae oboedientiae. Pietatem coluit peculiarem in Virginem Mariam, quam imitari est nisa in sollicitudine de membris Corporis Christi Mystici patientibus. Beata, egregium misericordiae et consolationis instrumentum, pie obiit Dertosae die XI mensis Iunii anno MDCCCLXXVI, sancta habita;

quae fama est insequentibus annis aucta et confirmata; unde anno MCMXXXIV canonizationis causa iniit. Canonicis celebratis Processibus iure praescriptis et exitu cum faventi suetis factis inspectionibus de virtutibus posteaque de duabus miris sanationibus, deprecationi Servae Dei tributis, Decessor Noster Paulus VI, die VIII mensis Maii anno MCMLXXVII, hanc in Beatorum caelitem album rettulit. Resumpta Causa, apud Curiam Civitatis Bolivarensis anno MCMLXXXVI actus est Processus canonicus de sanatione, mira asserta, quae facta est Caicarae ad Orinocum (in Venetiola) anno MCMLXXXI, pro puero. Sanatione a medicis et deinde a theologis consultis, die XXVIII mensis Martii anno MCMLXXXVIII coram Nobis decretum promulgatum est super miraculo. Confirmatis Fratrum Cardinalium et Praesulum votis, in Consistorio congregatorum die II mensis Maii anno MCMLXXXVIII, decrevimus ut canonizationis ritus die XI mensis Decembris eiusdem anni celebraretur. Hodie igitur in Vaticana Basilica Sancti Petri inter sacra hanc pronuntiavimus formulam: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, beatam Mariam Rosam Molas y Vallvé Sanctam esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo ascribimus, statuentes eam in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quibus prolatis vocibus praecepimus ut hae conficerentur expedirenturque Litterae Decretales. Gratias autem et egimus Nos Deo una cum praesentibus et postquam sermonem habuimus de novensili Sancta eiusque mirandis virtutibus et operibus, caeleste eius primi invocavimus patrociniū et augustiore ritu divinum sacrificium ad eius pariter honorem facere perreximus, hoc praecipue fervidissime a cunctorum bonorum Datore et sanctitatis fonte postulantes, omnipotenti scilicet Deo, ut omnibus qui se Christianos esse profitentur, gratiam concedere dignaretur, qua fulti ipsa vita sua Christum testificarentur, sanctos profecto imitando, qui iam caeleste regnum adepti, fratres in terra adhuc peregrinantes exspectant. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undecimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo duodenonagesimo, Pontificatus Nostri undecimo.* EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana